

Pharaonis'.¹ Indicant haec verba, Heli pontificis proavum Aaronem sacerdotio aliquo apud Aegypti regem functum esse.

De tempore, quo hoc vaticinium scriptum sit, dubitari potest. Ortum id esse anno 621 ante Christum natum vel mox postea recentiorum veteris testamenti interpretum complures satis diserte autumant.² Vir doctissimus vero, quem semel iterumque dubitantem de Levitarum origine Aegyptiaca laudavi, illud magnae gravitatis fragmentum ante Iosiae regis aetatem atque ante Deuteronomii primordia confectum esse perspicue iudicat.³ Utinam ne foedentur tales antiquissimae traditionis versus neque in regum iudicum hexateuchi libris, neque in Homericae poëseos carminibus, quoniam in utrisque diasceuestarum pietate conservata sunt vetustissima populorum monumenta!

§ 2. De duobus benedictionum carminibus digressio.

Haud aliena ab hac de exodo definitionis parte commemoratio videtur de duobus aliis vaticiniis, quae contra Levitarum originem Aegyptiacam arma quaedam obtusa praeberunt. De benedictionibus loquor, quas Mosis et Iacobi appellant,⁴ quia in exordiis utriusque nomina ferunt.

¹ I. Samuelis (= I. Regum) 2, 27. Apud LXX interpretes ed. Tischendorf, ac post eius mortem (7. m. Dec. 1874) septimum Eberardus Nestle (1887), tom. I, p. 329: ὄντων αὐτῶν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ δούλων τῷ οἴκῳ Φαραώ. 'In domo Pharaonis' vertit Vulgata. Wellhausen (Der Text der Bücher Samuelis. 1871, 48) contra versionem Graecam animadvertit, verbum 'abadim' (δοῦλοι) fortasse excidisse, attamen talem coniecturam necessariam non videri, quod comprobent duae analogiae. Immo ex Hebraeorum servitutis Aegyptiacae analogia interpretes Graeci etiam maioribus Heli pontificis servitutum effecerunt.

² A. Kuenen, Historisch-kritische Einleitung in die Bücher des alten Testaments, deutsche Ausgabe von Th. Weber II (1890) 47, idemque fere dicit Stade (Geschichte des Volkes Israel) I (1886), 201, 156 n. qui nihilominus p. 202 genuinam Aegypti memoriam in 'veterrima' narratione eiusdem libri Samuelis I, 4, 1^b—7, 1 reperit: 'ein höchst alterthümliches, der vorprophetischen Zeit angehöriges Stück . . . der Gott der Hebräer, welcher einst die Aegypter geschlagen hat, ist ins Lager gekommen'.

³ Baudissin l. l. p. 203 cf. 193. Addendum mihi videtur in libris Esrae, qualiter apud LXX interpretes formati sunt — nempe I, 7, 6; II, 9, 2; 10, 5 — sacerdotes ac Levitas ab reliquo Israëlitarum populo seiunctos apparere.

⁴ Deuteronomium c. 33, Genesis c. 49.